Wacławski Simonis: Quaestio logica de relatione praedicamentali.



A. M. D. G.

QVÆSTIO LOGICA.

DE

RELATIONE PRÆDICAMENTALI,

SVB



Felicissimis auspicijs.

Magnifici, Clarissimi, & Excellentissimi,

D. FRANCISCI ROLINSKI,

Philosophiæ, & Medicinæ Doctoris, ac Professoris, CONSVLIS CRACOVIENSIS.

Studij Vniuersitatis Almæ Acad: Cracouieñ:

GENERALIS RECTORIS.

A

M. SIMONE à Zychlin WACLAWSKI,
Philosophiæ Doctore, & Professore, Contubernijq; Philosophorum Seniore.

Dum pro Collegio Minore responderet,

In DD. Theologorum perangusto Lectorio

Anno Reparatæ Generis Humani

SALVTIS.

1666.

Nouembris 19. Horis Matutinis.

publicè ad disputandum

PROPOSITA.

CRACOVIÆ,
Apud Hæredes & Successores LVCÆ KVPISZ,
S. R. M. Typogr.

QVÆSTIO.

V. RElatio Prædicamentalis, verè in rerum Natura exiſtens, conſtituat ſummum genus ex nouem, ab alijs diſtinctum, diſtinctaq; realiter à ſuo fundamento, deſumat ſuam vnitatē, & diſtinctionē ſpecificam tam à fundamēto, quàm à Termino, nec ne?

CONCLVSIO. I.

RElatio Prædicamentalis, verè in rerum Natura exiſtit.

COROLLARIA.

I. Relatio Prædicamentalis includit duas rationes ſui conſtitutiuas, Eſſe In, *& Eſſe* Ad.

II. Inter iſtas duas rationes Eſſe In, *& Eſſe* Ad, *ſolùm eſt diſtinctio rationis.*

III. Relatio Prædicamentalis tàm ſecundùm Eſſe In, *quàm ſecundùm Eſſe* Ad, *eſt realis.*

IV. Errant, qui docent relationem ſecundùm proprium conceptum, nihil affixum, aut inhærens eſſe, ſed ſolùm aſſiſtens ſubiecto, & extrinſecè illud denominans.

V. Optimè definitur, quod ſit Accidens, cuius totum Eſſe, eſt ad Aliud ſe habere, vt Quo, *& non vt* Quod.

CONCLVSIO II.

RElatio Prædicamentalis conſtituit

tuit vnum summum genus ex nouem, ab alijs distinctum.

COROLLARIA

I. Summum genus huius Prædicamenti est, Relatio in actu signato, non in exercito.

II. Solæ Relationes creatæ Prædicamentales secundùm esse, ponuntur in hoc Prædicamento.

III. Relationes tamen creatæ secundùm Esse, quæ fundantur immediatè in Substantia, vti est Relatio Identitatis Specificæ, & Relatio Differentiæ Specificæ, non ponuntur in Prædicamento.

IV. Similiter Relationes secundùm Dici, quatenus hoc nomine explicantur, ad hoc Prædicamentum non pertinent.

V. Etiam Diuinæ Relationes excluduntur ab hoc Prædicamento.

CONCLVSIO III.

RElatio Prædicamentalis distinguitur realiter à suo Fundamento.

COROLLARIA.

I. Fundamentum Relationis Prædicamentalis, aliud est Remotum, aliud Proximum.

II. Relatio Prædicamentalis etiam à Fundamento proximo realiter distinguitur.

III. Non solùm Entitas Relationis Prædicamentalis distinguitur realiter entitatiuè à suo Fundamento, sed & existentia Relationis, distincta est realiter ab existentia sui Fundamenti.

IV. Relatio Prædicamentalis formaliter considerata, non potest esse Fundamentum alterius Relationis.

V. Fundamentum per aduentum Relationis Prædicamentalis, realiter, & intrinsecè mutatur.

CON-

CONCLVSIO IV.

RElatio Prædicamentalis desumit suam vnitatem, & distinctionem specificam, tàm à Fundamento, quàm à Termino.

COROLLARIA

I. *Vnitas & distinctio Specifica Relationis Prædicamentalis non desumitur secundùm Materiales Entitates Fundamenti & Termini, sed secundùm rationes fundandi, & terminandi.*

II. *A Fundamento tamen specificatur, vt à Causa, & principio Specificante: à Termino verò, vt à complente & terminante, rationem specificandi.*

III. *Relatio Prædicamentalis specificatur à Termino formali Totali, non verò Partiali.*

IV. *Vnitatem & distinctionem Numericam non desumit Relatio à Fundamento & Termino, sed à Subiecto, cui inhæret.*

V. *Et ideo Multiplicatis terminis eiusdem Speciei, Relationes in eodem Subiecto non multiplicantur.*





Permissu Magnifici Domini

RECTORIS.

